

In una Bovinen. Matrimonii die 7 Septembr. et 28 ejusd. mensis an. 1697, lib. XLVII Decret., pag. 416 et 433.

Bovinen. Matrimonii. Marcus Atello natus in civitate Bovini, post defunctam primam ejus uxorem in civitate S. Severi, consuetudinem habere cepit in oppido Foggiae diocesis Trojanæ cum Joanna Spera muliere conjugata, quam in statu concubinitus ibidem retinuit spatio annorum septem. Reversus postmodum ad patriam una simul cum dicta Joanna continuavit in eodem concubinitu per alios quindecim annos, venditans apud omnes, dictam Joannam esse sibi in matrimonio junctam. Comperto autem per decanum curatum cathedralis, nulum inter eos exstare matrimonium, injunctaque per episcopum separatione, decreverunt inter se ad illud realiter devenire. At non habentes fidem obitus primi viri præfatæ Joannæ, ambo de mense Octobr. 1692, Foggiam se contulerunt animo contrahendi inibi matrimonium, eoque secuto illico repetendi Bovinum, ut coram testibus fide dignis, et tota vicinia declararent. Sed postquam commorati fuerant per paucos dies in dicto loco, simulata per Marcum mortali infirmitate, prævio examine trium testium super statu libero utriusque, præmissis duabus tantum denuntiationibus, fuerunt de licentia episcopi in matrimonium copulati ab archipresbytero illius loci.

Paulo post reversi ad civit. Bovini exhibuerunt fidem hujusmodi matrimonii coram decano cathedralis, qui dubitans de illius validitate tanquam contracti in fraudem parochi proprii domicilii, recursum habuit ad hanc sacram congregat. pro declaratione, datisque litteris ad episcopos Trojanum, et

MISSIONARI, MISSIONES.

SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE DECRETA.

Die 12 Martii 1759.

Resolvitur dubium pro conjugibus diversi ritus.

(1. In congregatione generali de Propaganda Fide: *Inter cætera*, etc. Cum propositum a quibusdam fuerit dubium, quem ritum sequi conjuges debeant, si forte diversi ritus fuerint; sac. congregatio, SS. Domini nostri Papæ auctoritate, permitti posse censuit, ut uxores suorum virorum ritum sequantur, dummodo uxor non sit ritus latini, quo casu, inconsulta Sede Apostolica, ad mariti ritum transire non permittatur.

Relatione autem facta per R. P. D. Nicolaum Antonellum ejusd. congregat. secretarium sanctissimo domino nostro divina Providentia Papæ Clementi XIII in audientia habita die 13 mensis Maii, Sanctitas Sua omnia benigne approbavit, et Apostolicæ auctoritatis robore confirmavit, mandavitque ab omnibus servari, quibuscunque in contrarium non obstantibus.

Bov. cum eorum relationes inter se discordarent, asserente primo, dictos conjuges domicilium contraxisse in terra Foggiae per decennium, et ultra, inibi habitando, et ulterius dictam Joannam nunquam alteri viro junctam fuisse; altero vero referente, illos habere domicilium Bovini a quindecim annis, et ultra, et præsertim de tempore contracti matrimonii, et insuper dictam Joannam in virum habuisse Franciscum Rampam, de cujus obitu non constabat, necessarium fuit ad eruendam veritatem, exquirere informationem episcopi Ausculani in Apulia, qui ex ore proprio ejusdem Joannæ confirmavit in omnibus relationem E. Bovinen. Ortaque ex dictis relationibus polygamie dubitatione, causa remissa fuit ad sac. congreg. Supremæ Inquisitionis, quæ postquam, factis variis diligentis, compertum habuit, virum præfatæ Joannæ jam decessisse usque de anno 1673, causam denuo remisit ad hanc sac. congr. Quare hodie ad instantiam dicti decani Bovinen. utroque conjugem monito, sed ratione paupertatis non informante, decernendum superest.

« An præfatum matrimonium inter Marcum et Joannam, ut supra contractum sustineatur in casu, etc. »

Die, etc., sac., etc., distulit propositionem.

In eadem die 28 Septembris 1697. Bovinen. Matrimonii.

Dubium. — « An matrimonium contractum inter Marcum et Joannam in casu de quo agitur, sustineatur. »

Die etc., sac., etc., respondit *Negative*, et ad mentem, quæ est, ut insinuetur episcopo, ut curet renovari matrimonium coram proprio parochi. (Ex *Thesaur. Resolut. sac. congr. Concil.*, tom. II, pag. 284 et seqq.)

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacræ congregationis die 19 Maii 1759.

Universis et singulis, quorum interest, notum sit, supra scriptum decretum extractum fuisse ex actis originalibus existentibus in archivio sacræ congregationis de Propaganda Fide; ideoque plenam, et omnimodam fidem eidem adhibendam esse. In quorum, etc. Datum Romæ ex ædibus prædictæ sacr. congregationis, die 13 Maii 1779.

JOSEPH MARIA, card. CASTELLI, præf. Loco ✕ sigilli.

Stephanus BORGIA, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis de Propaganda Fide, quo reprobantur nonnullæ praxæ Christianorum occultorum, Mahumetanam sectam simulantium,

Habita die 31 Januarii 1774.

(2. Cum ad aures sacr. congregat. pervenerit, in quibusdam Albanie diocesis. aliisque finitimis provinciis Christianos

nonnullos adhuc existere, qui, non obstante saluberrimo synodi Albanensis decreto, ac repetitis S. M. Benedicti XIV constitutionibus, videlicet *Inter omnigenas* diei 2 Februarii 1744, et *Quod provinciale* diei 1 Augusti 1754, Christum erubescens ejusque præcepta, infidelitatem simulare audent, actusque peragere a veræ fidei sinceritate prorsus alienos: sollicitudinis suæ partes esse duxit, facto verbo cum Sanctissimo Domino Clemente XIV die 6 Februarii 1774 declarare, sequentes præfatorum Christianorum praxes innoxias nec esse, nec ullo modo tolerandas.

In primis itaque a simulatæ infidelitatis nota excusari non posse declarat subdolanæ agendi rationem illorum, qui dum diebus solemnioribus missæ sacrificio intersunt, astantium ex curiositate Turcarum præsentiam formidantes, nunquam omnino caput aperiunt, nec signant se crucis signo, abstinenteque a cæteris catholicæ religionis actibus, qui ab aliis, qui Christiano censentur nomine, palam solent exerceri, atque ita agentes, id obtinent, ut Mahumeticæ superstitionis sectatores reputentur, nec alia, quam curiositatis, aut levitatis causa ad ecclesiam vel ad conventus locum advenisse, ibique manere credantur.

Quoniam vero non desunt qui conantur excusare excusationes suas in peccatis, asserentes, se simili prorsus modo gerere, cum, nemine Turcarum astante, aliis diebus missæ, cæterisque functionibus præsentibus sunt: ideo eademmet sacra congregatio pariter declarat, hujusmodi responsum non tam valere ad purgandam eorum agendi rationem, quam ad ostendendam desidiæ, ac fidei languorem in his, quæ sunt ad Deum, vel potius indicio esse posse, jam tunc ab eis præconceptam mentem esse falsæ religionis simulandæ, cum tempus et occasio tulerit.

Præterea gravi culpa non caret, quod iidem occulti credentes, cum, diebus ecclesiastico jejunio, aut abstinentiæ consecratis, Turcarum mensis accumbunt, vetitis in illis diebus ab Ecclesia vescuntur cibis, aut se manducare fingunt; simulatio enim hæc non alio animo facta præsumi potest, quam ut Christianorum legibus nequaquam obstricti videantur, sed plane Mahumetani inter Mahumetanos existantur.

Nec quidquam eis prodest, quod identidem propositum jaçant palam profiteri catholicam religionem, quoties a publica potestate interrogentur: id enim fieri ab eis necessario debet, sed simul opus est, ut in privatis actibus ab illis simulationibus abstineant, per quas fieri nequit, quin veræ fidei exortes, et falsæ sectæ addicti exterius appareant.

Multo minori dubitatione damnanda sac. congregationi visa est illorum agendi ratio, qui, Turcarum verentes offensionem, profana eorum templa ingrediuntur, precatationesque apud Mahumetanos in more positas peragere fingunt; factum enim ipsum nimis apertam præferunt Mahumeticæ reli-

gionis simulationem, licet ab aliis damnatæ sectæ observationibus, et cæremoniis abstineant.

Idipsum dicendum de praxi illorum censet, qui ad funera deducenda Mahumetanum ministrum advocant, ut vel ipsi, vel defuncti a falsa secta non recessisse existimantur. Quare, si ex defunctorum voluntate quomodocunque explicata, nec ante obitum retractata id fieri constiterit, sacra congregatio eosdem defunctos ecclesiasticæ sepulture, et suffragiorum beneficio incapaces esse decernit: si vero ex solo damnabili superstitionis arbitrio supra dictus Mahumetanus minister assistentiam funeri præstabit, eo in casu illorum crimine defunctos non illigari, bene vero superstites ipsos gravissimæ impietatis reos, et canonicis penis obnoxios fore declarat. Hoc enim, ut cætera omnia superius expensa in enuntiatæ circumstantiis, (et fortasse aliæ etiam praxæ, quæ ad notitiam sacræ congregationis nondum advenere) Mahumeticæ sectæ simulationem, Christianæque fidei negationem saltem virtualiter includit, summamque Christo Domino injuriam, et proximo scandalum parit.

Cæterum eminentissimi Patres archiepiscopos, episcopos et superiores missionum Albanie, Servie, aliarumque provinciarum, quæ Turcarum imperio subsunt, in Domino hortantur, ut zelo fidei succensi a gregibus pastoralis suæ curæ commissis supra dictos damnatos abusus avertere satagent; pari zelo, et charitate unumquemque illorum, qui præmissa facilitare non ventur, arguentes, increpantes, admonentes, se in nullo casu posse Christum erubescere, falsamque religionem simulare, quin spem æternæ retributionis abjiciant. Factum insuper magni Eleazari ante illorum oculos constituent, qui, cum compelleretur simulare de sacrificii carnibus lege vetitis manducasse, ut vitæ periculum effugeret, gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam elegit, memorandam illam sententiam pronuntians: *Etsi in præsentis tempore supplicis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.*

Quod si forte, hac solerti pastorum cura non obstante, aliqui adhuc obstinati, ac cælestis vocationis immemores reperiantur, qui impiorum viam insistere pergunt, detestabiles simulationes in fidei negotio adhibentes, iidem archiepiscopi, episcopi et missionum superiores, ut supra, illos sacramentorum participatione in vita, et, si impenitentes decesserint, ecclesiastica sepultura, et suffragiorum beneficio post mortem incapaces declarabunt.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacr. congregationis, die 19 Februarii 1774.

J. M. card. CASTELLUS, præfectus.

Loco ✕ sigilli.

Stephanus BORGIA, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habita die 21 Martii 1774.

De necessitate pro missionariis addiscendorum idiomatum.

(3. Etsi pluries cautum fuerit, ut Apostolici missionarii officium susceperunt omni diligentia, et alacritate curarent locorum, ad quæ ablegantur, idiomata addiscere, ne linguarum imperitia in medio messis multæ contra S. Sedis exspectationem otiosi, ac inutiles remanerent: nihilominus, cum experientia constet, nonnullarum regionum missionarios, posthabito propriæ conscientiæ, atque animarum ab eis divini verbi pabulum exposcentium detrimento, desides in hoc, et negligentes existere; eminentissimi Patres, R. P. D. Stephano Borgia secretario referente, partes sollicitudinis esse existimarunt, facto verbo cum SS. Domino nostro Papa Clemente XIV omnibus, et singulis, qui pro Christo in terris hæreticorum, et infidelium legatione funguntur, modis omnibus, ac etiam in virtute sanctæ obedientiæ, iterum præcipere, ut cum primum ad stationes sibi assignatas pervenerint, sedulo studeant vernaculum illius gentis sermonem percipere, atque in id nervos omnes intendere. Ne vero præceptum hujusmodi impune a quoquam violari in posterum contingat, episcopis, vicariis Apostolicis, præfectis, seu superioribus missionum, mandant, ut post sex menses ab ingressu novorum missionariorum ad suas stationes, eos coram duobus missionariis, si commode fieri poterit, alias per se tantum super linguæ peritia examinent, vel alteri, ut examinentur committant. Quod si deprehenderit, illos requaquam, prout opus erat, addiscendis idiomatibus populorum, quibus præsto esse, et sacramenta administrare debent, operam dedisse, in primis serio moneant, ne in re tam gravi diligentiam suam desiderari permittant, facultates, nisi urgeat necessitas, eis denegent, injungantque, ut, elapso sex aliorum mensium spatio, se iterum examini omnino sistant. Quo termino elapso, et missionariorum desidia, atque socordia durante, de ea sacr. congregationem certiore reddant, ut statuere valeat, num servi hujusmodi a bono opere torpentes, atque ad sacrarum missionum opus prorsus inutiles, ad regularem provinciam sint revocandi, ac privatione privilegiorum, quæ alias possent eis competere, aliisque pœnis usque ad condignam satisfactionem puniendi.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacræ congregationis, die 5 Maii 1774.

J. M. card. CASTELLI, præfectus.
Stephanus BORGIA, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habita die 22 Julii 1774.

De missæ elemosyna ultra taxam synod. vel consuetudinem regionum non exigenda.

(4. Cum in nonnullis missionum locis abusus irrepserit, ut sacerdotes, quibus ab Apostolica Sede indultum altaris privilegiati personalis concessum est vel ii, qui in altari alias privilegiato sacrum faciunt, præter consuetam missæ elemosynam, aliquid audeant a Christifidelibus exigere, ea de causa, quod missæ in altaribus alterutro modo privilegiatis celebratæ, magis prosunt illis, quorum favore applicantur: eminentissimi Patres, ad relationem R. P. D. Stephani Borgia secretarii, decreverunt, mandandum esse præfatorum locorum ordinaris, sive superioribus, ut ecclesiasticis utriusque cleri sibi respective subjectis denuntient, nulli prorsus licere intuitu privilegii, sive localis, sive personalis, pro missæ elemosyna plus recipere, quam taxa synodalis, vel consuetudo regionum firmaverit, alias ad restitutionem teneri, quinimo privilegium, si personale sit, in perpetuum amittere, nec gaudere locali, quatenus ad altare privilegiatum sacrum faciant, ut declaratum est per sacræ congregationem super Indulgentiis, sacrisque reliquiis præpositam.

Datum Romæ, ex ædibus supradictæ sacræ congregationis, die 13 Augusti 1774.

J. M. card. CASTELLI, præfectus.
Loco ✕ sigilli.

Stephanus BORGIA, secretarius.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Habita per me infra scriptum sacræ congregat. de Propaganda Fide secretarium, die 7 Maii 1775.

De juramento quotannis per missionarios renovando.

(5. Sanctissimus Dominus noster Pius divina Providentia Papa VI pro eximio, quo flagrat catholice religionis latius propagandæ studio, animadvertens bono, ac incremento Apostolicarum missionum plurimum posse conducere, si ii, qui in collegiis, sive seminariis utriusque cleri, Evangelii præcones mox futuri, educati sunt; vel qui titulo missionis ad ecclesiasticos ordines fuere promoti, animo identidem recolant jusjurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum: eos vehementer hortatur, ut in annos singulos in anniversaria die præstiti juramenti illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem, quæ eos constituit Verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis, ac potentæ suæ: quam immarecensibilis gloriæ corona eis in cœlis parata sit, si officium suum sancte riteque impleverint: quamque econtra districtum maneat iudicium, si negligentia, vel socordia sua, quod absit! quemquam perire contigerit.

Id autem ut promptius, et alacrius præstent, Sanctitas Sua unicuique illorum ple-

nariam indulgentiam, animabus quoque in purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus peramanter imperitur, non modo cum prædictum juramentum primo emiserint, verum etiam cum illud statuta jam die renovaverint; dummodo in utroque casu conscientiam suam Pœnitentiæ sacramento expiare non omitant, ac eucharisticam communionem suscipiant, vel missæ celebrent sacrificium.

Datum Romæ, ex ædibus ejusdem sacræ congreg., die 17 Maii ann. 1775.

Stephanus BORGIA, secretarius.

Ego
Emisi supra dictum juramentum die
mensis anni.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habita die 26 Januarii 1778.

Quo iterum idiomatum peritia inculcatur.

(6. Cum vehementer intersit, ut qui ad peragendas Apostolicas missiones inter infideles et hæreticos expediuntur, ob linguarum imperitiam otiosi in medio messis multæ non evadant, pluries cautum fuit, ac præsertim decreto die 21 Martii 1774 edito, ut omnes missionarii, cum primum ad stationes sibi assignatas pervenerint, sedulo studeant vernaculum illius gentis sermonem addiscere, atque in id nervos omnes intendere. Ut autem ad hujusmodi decreti observantiam efficacius excitentur missionarii ordinis Minorum Conventualium, emi. Patres, referente R. P. D. Stephano Borgia secretario, ad humillimas preces R. P. Ferdinandi Mariæ Garzillo procuratoris generalis ejusdem ordinis, decreverunt, ut postquam prædicti regulares præfinitum suæ moræ spatium in missionibus compleverint, nullo modo privilegia sibi concessa per constitutionem a fel. record. Clemente PP. XI editam sub die 21 Januarii 1710, quæ incipit: *Crediti Nobis*, in posterum consequi valeant, nisi prius accurato examini se subjiciant jussu, atque arbitrio sacræ congregationis subeundo super peritia linguarum, ubi munus exercuerunt, ac in ipso bene instructi, atque idonei deprehendantur.

Quam sacræ congregationis sententiam per eundem dom. secretarium SS. D. N. Pio PP. VI relatum in audientia habita die 31 præfati mensis, et anni, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, et Apostolicæ suæ auctoritatis robar adjecit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus prædictæ sacræ congregationis, die 7 Martii 1778.

J. M. card. CASTELLI, præfectus.

Loco ✕ sigilli.

Stephanus BORGIA, secretarius.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Habita die 21 Novembris 1779.

De suffragiis pro defunctis.

(7. Ut animæ Christifidelium, qui ex hoc

sæculo migrarunt, consuetis Ecclesiæ suffragiis opportune juventur; Sanctissimus Dominus noster Pius divina Providentia PP. VI referente me infra scripto sacræ congregationis de Propaganda Fide secretario, ad preces missionariorum in Indiis orientalibus existentium, benigne indulsit:

I. Ut defunctorum cadavera, quæ ob fe-torem ante horas 24 sepulta sunt, tanquam præsentia censeantur, ideoque intra id temporis spatium missæ defunctorum pro iis celebrari possint, etiamsi officium sit duplex.

II. Ut missa solennis defunctorum celebrari valeat pro animabus confratrum, qui alicui confraternitati addicti fuerunt, ea die quæ sequitur commemorationem omnium fidelium defunctorum, quamvis idem adsit officii duplicis impedimentum.

III. Ut die, quæ immediate subsequitur octavam Corporis Christi, solenne missæ sacrificium peragi possit pro defunctis confratribus sanctissimi Sacramenti, licet officium duplex, ut supra, recurat.

IV. Denique, ut absentibus missionariis die mortis, vel sepulturæ alicujus defuncti, iidem missam cantatam, vel lectam defunctorum celebrare possint, etiamsi officium sit duplex, cum primum ad locum pervenerint.

Declaravit tamen Sanctitas Sua, ut in reliquis prædicti missionarii se omnino conforment Rubricis generalibus et decretis sac. Rit. congregationis; cæteris quibuscunque in contrarium non obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacræ congregationis die, et anno, quibus supra.

Stephanus BORGIA, sacræ congregationis de Propaganda Fide secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habita die 29 Novembris 1779.

De sacris supellect. non distrahendis.

(8. Cum relatum fuerit eum apud Coptos vigere abusum, ut sacræ supellectiles, aliæque res ecclesiasticæ, quæ sacerdotibus et monachis ejusdem ritus, vel a sac. congregatione transmissæ, vel piis fidelium largitionibus donatæ fuerunt, post eorum obitum ab hæredibus distraherentur et alienentur, haud mediocri nationalium Ecclesiarum detrimento, sacræ congregatio, referente eminentissimo ac reverendissimo domino card. Thoma Maria Ghilini Ponente, inhærens decretis alias latis, ac præsertim sub die 17 Augusti 1772, statuit ac decrevit, sacras omnes supellectiles, vasa, libros, et alia quælibet instrumenta penes sacerdotes et monachos Coptos post eorum mortem reperta, si hæc, vel præfata sacræ congregationis, vel fidelium pietate acquisita fuerint, ad easdem Ecclesias omnino spectare, prout illius missionis beneficio eroganda esse, cui sub defunctis sacerdotibus vel monachis addicta erant. Quod si probetur, et con-

stet prædicta sacra non Ecclesiæ favore, sed directe vel sacerdotibus vel monachis a fidelibus donata fuisse, tum indulget sacra congregatio, ut sacra eadem ad illorum hæredes transire valeant: quo tamen casu superioris nationis Coptiæ partes erunt, id sedulo curare, ne præfata supellectiles ad sanctum Ecclesiæ ministerium destinatae, vel infidelibus turpis lucri causa vendantur, vel in profanos alios usus ab hæredibus erogentur.

Quam sacræ congregationis sententiam SS. D. N. Pio PP. VI relatum in audientia habita per R. P. D. Stephan. Borgia secretarium die 19 Dec. 1779, Sanctitas Sua benigne approbavit, et Apostolica auctoritate munivit.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacræ congregationis, die 23 Decembris 1779.

Joseph-Maria card. CASTELLI, præfectus.
Stephanus BORGIA, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habita die 26 Junii 1780.

De non admittendis mulieribus intra cubicula hospitiorum.

(9. Cum deceat viros, qui sæcularibus soluti curis per regularia vota arctioris vitæ institutum sunt professi, ab omni mulierum familiaritate abhorre, hinc est, quod tam generalium ac provincialium conciliorum decretis, quam Summorum Pontificum, præsertim S. Pii V, Gregorii XIII, ac novissimis Benedicti XIV constitutionibus sancitum est, ut intra religiosorum virorum septa, mulieribus quibuscunque non pateat aditus, sub gravissimis pœnis inflicis, tam viris, qui feminas quocunque prætextu intra regularium domorum ambitum adiserint, quam feminis, quæ earumdem domorum clausuram violaverint. Saluberrimis hisce sanctionibus inhærens sacra congregatio, etsi præfectos missionum identidem monere non destiterit, si quos aliquando ea in re non admodum vigilantes fuisse intellexerit: temporis tamen intervallo, vel legis oblivione, vel quod proclive est hominis ingenium ad legum quæcumque sanctissimarum vim elevandam, sæpius accidit, quemadmodum multorum litteris eidem congregationi renuntiatum est, quod in stationibus ac hospitibus missionariorum admittæ quandoque fuerint mulieres, et in cubiculis, vel in aliis locis intra hospitiorum ambitum pœnitentiæ sacramentum susceperint. Quod quidem quam indecorum sit, quamque periculosum, probe noscens sacra congregatio, quæ missionarios suos inter Christiani nominis hostes versantes, non solum a malo, sed etiam ab omni specie mali abstinere desiderat, ut juxta Apostoli monitum sine offensione sint Judæis et gentibus et Ecclesiæ Dei, referente R. P. D. Stephano Borgia secretario, statuit ac jussit, hospitia et stationes, seu domos quaslibet cujuscunque ordinis, congregationis, aut instituti regularis in locis missionum ubi-

cunque existentes, in quibus duo, vel tres missionarii Latini ritus commorantur, seu commorari contigerit, clausuræ legibus subijci, ita ut nemini regulari cuicunque omnino liceat ullam feminam intra privata eorumdem hospitiorum seu stationum cubicula, mansiones, recessus, sub quovis titulo, specie ac prætextu introducere, multoque minus sanctissimum pœnitentiæ sacramentum ibidem ipsis administrare; nec mulieribus sub quæcumque licentiarum obtentu prædicta hospitiorum privata cubicula, mansiones, recessus ingredi, sub pœnis a sacris canonibus ac supra memoratis Pontificum constitutionibus inflicis adversus clausuræ violatores. Ut autem ad eorumdem hospitiorum interna oratoria, ecclesias ac loca ubi sacra peraguntur, mulieribus quoque pateat accessus, ut sacrosancto missæ sacrificio, aliisque ecclesiasticis functionibus intersint atque sacramentum pœnitentiæ suscipiant; eadem sacra congregatio declarat ac decernit admitti posse mulieres in internis ecclesiis, capellis aut oratoriis publicis hospitiorum prædictorum, ad quæ tamen recto tramite accedant, nec in cubicula, aut privatas mansiones deflectant et per eandem, per quam accesserunt viam, revertantur. Jubet præterea ac præcipit sacra congregatio, ut mulierum confessiones palam in ecclesiis, capellis aut publicis oratoriis, ubi adsunt, ubi vero desiderantur, in alio loco patenti ac pervio et januæ hospitii, quantum fieri potest viciniori, a respectivis ordinariis, et his deficientibus, a localibus missionum superioribus designando, interposita crata ferrea vel alio repagulo inter os confessarii ac mulieris pœnitentis, audiantur. Qui secus fecerint ac saluberrimis hisce ordinationibus contraiverint, pœnas contra clausuræ violatores ac sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum præfatarum contemptores incurrant.

Quod sacræ congregationis decretum sanctissimo domino nostro Pio Papæ VI relatum in audientia habita per eundem D. secretarium die 2 Julii currentis anni, Sanctitas Sua benigne confirmavit, Apostolicæ suæ auctoritatis robur adjiciens, et ab omnibus sub memoratis pœnis inviolabiliter observari jussit.

Datum ex ædibus prædictæ sacræ congregationis, die 26 Augusti 1780.

L. card. ANTONELLUS, præfectus.

Loco ✕ sigilli.

Stephanus BORGIA, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habita die 27 Augusti 1781.

De protectione in loca missionum non differenda.

(10. Cum compertum fuerit nonnullos missionarios, qui ad apostolicum exercendum ministerium mittuntur, de suo adventu

parum sollicitos, vel protectionem differre, vel diutius in itinere immorari; proindeque multum temporis, quod ipsis ad sacras missiones obeundas præfinitum est, frustra teri non sine spirituali earumdem missionum detrimento; sacra congregatio, referente R. P. D. Stephano Borgia secretario, statuit ac decrevit, tempus in missionariorum deputatione præfixum in posterum non ab expeditione decreti, sed a die singulorum adventus, sive ingressus in designatam missionem omnino esse inchoandum; adeoque mandavit missionum præfectis, ut hujusmodi ingressum diem in litteris patentibus eorumdem missionariorum notare teneantur, ut exinde tempus cuique decernatur ad peragendas missiones præstitum.

Hac ipsa occasione renovat sacra congregatio, seduloque inculcat missionum præfectis observantiam decreti alias editi, ac præsertim sub die 2 Martii 1665 ac 28 Septembris 1722, nimirum non licere præfectis licentiam concedere missionariis redeundi, etiam completo tempore suarum facultatum, nisi prius sacra congregatione præmonita, atque expectato adventu in missionem aliorum operariorum, qui per eandem sacram congregationem deputati fuerint.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacræ congregationis, die 8 sept. 1781.

L. card. ANTONELLUS, præfectus.

Loco ✕ sigilli.

Stephanus BORGIA, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habita die 27 Augusti 1781.

De jure sepulturæ quoad parochos.

(11. Referente eminentiss. ac reverendissimo domino card. Boschi Ponente controversiam exortam inter Patres Minores Observantes et parochos orientales urbis Cayri de jure sepeliendi in duobus cœmeteriis Cayri veteris; eminentissimi Patres, re mature perpensa, decreverunt, licere, et permittendum esse Græco-Melchitis, aliisque Orientalibus Catholicis, qui propriis parochis subsunt, in eadem civitate Cayri corpora defunctorum Catholicorum proprii ritus sepelienda deferre ad hinc cœmeteria Cayri veteris; idemque plane licere eorum parochis, petita singulis vicibus venia a Patre propæfecto Minorum Observantium pro tempore, quæ tamen ab ipso denegari non possit; et quatenus denegata fuerit, posse nihilominus eosdem parochos, sive licentia obtenta fuerit, sive non obtenta, super mortuorum fidelium sibi subjectorum cadavera sacros extremos ritus peragere in præfatis cœmeteriis, juxta probatos nationis suæ ritus, et consuetudines.

Quod sacræ congregationis decretum sanctissimo domino nostro Pio Papæ VI rela-

(186) Placet hic afferre Breve Summi Pontificis feliciter regnantis Papæ Pii Noni, incip. *Quod in*

tum in audientia habita per R. P. D. Stephanum Borgia secretarium die 2 Septembris 1781, Sanctitas Sua benigne approbavit, et Apostolicæ suæ auctoritatis robur adjecit.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacræ congregationis, die 3 Septemb. 1781.

L. card. ANTONELLUS, præfectus.

Loco ✕ sigilli.

Stephanus BORGIA, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habita die 27 Augusti 1781.

Quo facultas Catholicis orient. conceditur explendi S. functiones ad normam, ut infra.

(12. Ut ecclesiasticæ functiones Catholicorum orientalium in urbe Cayri degentium æquo deinceps ordine, certisque temporibus peragantur, neque ulla ex præfatis nationibus ob exortas jamdudum controversias circa ecclesiarum pertinentiam a libero exercitio sacrorum rituum prohibeatur; sacra congregatio, referente eminentissimo ac reverendissimo dom. cardinale Boschi Ponente, statuit ac decrevit, licere Coptis catholicis absque ulla venia P. vicepræfecti Minorum Observant. sacras functiones juxta proprium ritum explere in Ecclesia PP. Reformatorem urbis Cayri; Græco-Melchitis autem, aliisque Catholicis orientalibus, qui parochi nationali non carent, easdem functiones juxta proprium, ac probatum cujusque ritum peragere in ecclesia parochiali Minorum Observantium, qui locum, et cætera omnia ad ejusmodi rituum celebrationem necessaria quolibet anni tempore iisdem nationibus suppeditare tenebuntur. Ne autem in tanta rituum varietate et nationum concursu aliqua perturbatio exoriat, eadem sacra congregatio mandavit, ut præfata nationes tempora, et horas earum cuique assignandas ad rituum celebrationem communi prius consensione decernant; quibus statutis, veniam petere debeant a P. propæfecto eorumdem Minorum Observantium; et quoties ipse veniam aliquibus denegaverit, liceat iis ad præfatum Ecclesiam PP. Reformatorem sese conferre, ibique sacra mysteria juxta ritum proprium peragere; non obstante decreto diei 26 Septemb. 1769 et cæteris in contrarium quibuscunque.

Quam sacræ congregationis sententiam Sanctissimo Domino nostro Pio Papæ Sexto relatum in audientia habita per R. P. D. Stephanum Borgia secretarium die 2 Septembris 1781: Sanctitas sua benigne approbavit et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari jussit.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacræ congregationis, die 3 Septemb. 1781.

L. card. ANTONELLUS, præfectus.

Loco ✕ sigilli.

Stephanus BORGIA, secretarius (186).

religiosis, pro missionariis ordinis Cappuccinorum, quo facultas ipsis conceditur se posse peccata sua